Clarissimo VIRO,

HENRICO BANGERTO, S.

DUm ex Anglicanâ legatione, VIR CLARISSIME, quam Hanseatici fœderis nomine, haut minori cum periculo quàm molestiâ, hâc æstate sustinui, redux, hîc inter alia quædam negotia adhuc hæreo, eccé literas tuas; quibus ad finem properare Helmoldum nuncias, vix reditum meum, prelis calentibus, moraturum. Pergratæ quidem illæ, quòd exspectati pridem operis nuncium ferebant; gratiores autem futuræ, si vel confectô planè itinere domi oblatæ mihi, vel maturiùs saltèm redditæ fuissent in ipsâ legatione, vel ipse deniquè potuissem reditum accelerare magis. Cogitabam etenim; (quod ignorare te nolim) si quid honoris adjicere posset calam⁹ meus, commendatitia ac velut genethliacâ quadam, eâquè prolixiori epistolâ non tam adniti parturienti tibi, quàm orbi eruditorum ostendere, quantâ tibi industriâ, quantis laboribus inter ordinarias operas constiterit partus iste, quid deniqué editione ejus præstiteris, & quàm nihil ferè in eo præter publicum bonum spectaveris, Virum idem & elegantissimè doctus & optimus simul. Cujus rei testem fortè nec commodiorem habere alium, qui solus propè omnium impensas abs te huic operæ & ingenij & studii vires noverim; nec fideliorem possis, qui Te ob insignem eruditionem animiquè candorem & amavi semper & magnifeci. Sed nec meæ sive gratulationis sive commendationis gratia invidendus erat seculo, nec latere diutius debebat fœtus, suapte maturitate exitum parans, qui, quamprimùm se orbi conspiciendum præberet, nativâ suâ pulchritudine exsurrectu-